

muneribus publicis; seu etiam cibariis, esculentis & poculentis, epulis, comestationibus aut comotationibus, Populo aut Magistratibus vel Officialibus ultra eorum salaria & emolumenta, de jure vel ex laudabili consuetudine debita, largiendis; seu pro praestandis pueris vel adolescentibus studiorum causa alimentis; vel dotibus puellarum non egentium augendis; aut pro exhibendis spectaculis, etiam piis & intra Ecclesias vel extra eas in quibusvis publicis aut privatis, facris aut prophanis locis, etiam ubi Sanctorum Sanctorumve vita aut res pie gesta, populis spectanda proponuntur; sive etiam piorum operum & caritatis seu elemosinae praetextu, aut alias in praedictis seu aliis rebus supervacaneis, in dicto Libello seu Tabella non contentis; sed ad pompam & ostentationem aut oblectationem, vel paucorum lucrum & privata commoda, quomodolibet pertinentibus, sumptus aut impensas aliquas facere, nisi ipsa pro divino cultu, & veris Christi pauperum indigentis, de consilio & consensu loci Ordinarii sublevandis; aut pro iis tantum piis ludis publicis, qui ex inveterato usu permittuntur, & in praedicta Tabella seu Libello exprimentur, taxam a Governatore seu Praeside aut Potestate ipsius Provinciae, Civitatis, aut loci, cui subiunguntur, praefigendam, quae in supra dicto Libello seu Tabella comprehensa erit, non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.

Prohibemus insuper, ne quicumque Cives, Oppidani, aut Incolae, qui suae Communitatis aut Universitatis bonorum detentores, usurpatores, occupatores fuerint, quive contra ipsas Communitates litem aliquam seu controversiam habuerint, quae ad hunc effectum per solam unicum citationem coepta & inchoata censetur, eadem lite seu controversia durante, necnon qui eisdem suae Communitatis sive Universitatis debitores ex quacumque causa extiterint, earumve bona aut pecunias administraverint, antequam id, quod debent, integre persolverint, seu rationes administrationis reddiderint, cum ejus residui, in quo debitores remanserint, reali restitutione, ad obtinendos gerendos aut exercendos aliquos in ea Civitate, Provincia, Oppido, Terra, Castro, aut Loco, Magistratus aut munera quaecumque, vel officia publica, nullo modo eligantur vel admittantur; Et si de facto electi admixtione fuerint, electio & admissio irrita sit & nulla; & tam ipsi quam eligentes sive admittentes, necnon Governatores Praesides & Potestates, qui id permiserint, vel etiam exactam super his inquirendis & prohibendis diligentiam, prout eos teneri volumus & decernimus, non adhibuerint, poenis, in hac Constitutione contra illius transgressores inflictis, plebantur.

Porro locationes seu affectus tam vectigalium, quae Gabellae aut datia dicuntur, quam aliorum quorumcumque reddituum, proventus, jurium & emolumentorum, ad commune ipsarum Civitatum & locorum aerarium quomodolibet spectantium, statuimus & jubemus, omnino servatis servandis, atque adhibitis solemnitatibus, quae de

jure, aut cujuslibet Loci statuto vel consuetudine requiruntur, cum personis tunc & facultatibus idoneis, quae idoneas pariter in publico Consilio approbatas cautiones praestent, iniuri & contrahi debere: in quibus sane locationibus seu affectibus ea semper conditio & pactio addatur, ut ipsae Communitates sive Universitates ab omni prorsus detractioe, seu remissione, & ut vulgo dicitur, defalcatione ex quocumque ac inopinato & insolitissimo belli incursum, militum depopulationis, agrorum direptionis aut siccitatis, alluvionis, grandinis, tempestatis, incendii, aut alio quovis maxime fortuito casu, atque ex quovis capite, ac etiam legitima & urgenti amissionis aut diminutionis fructuum, etiam omni vel majoris partis, aut sterilitatis, vel alia quavis causa cogitata vel excogitata, cogitabili vel incogitabili, sint prorsus immunes; nec ad id cogi possint, etiam de jure tenerentur, sed integrae semper repositiones & praestationes seu pensiones annuae absque ulla diminutione per ipsos conductores eis solvi debeant; & quamvis pactum huiusmodi forsitan in contractibus omisum fuerit, nihilominus vigore praesentium literarum tacite inferte & subintelligi debere, perinde ac si ipsum inter contrahentes expresse cautum & conventum fuisset, sublata omnibus Judicibus, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, ac Sacri Palatii Apostolici Auditoribus, aliter iudicandi & interpretandi facultate.

Depositarios quoque pecuniarum, & introituum communis aerarii cujuslibet Communitatis sive Universitatis non aliter eligi deputari aut admitti volumus, nisi priusquam ad munus assumant, idoneam, arbitrio Governoris Praesidis aut Potestatis, cautionem praestent; alioquin tam ipsas locationes, affectus, seu appaltus, quam Depositariorum deputationes sive electiones aut admissiones cum omnibus inde secutis, etiam obligatione in forma Camerae Apostolicae juramento aut instrumento publico vallatas, irritas & nullas censeri. Et nihilominus Magistratus seu Officiales, qui contractus ipsos invenerint, Depositarios admiserint, vel in publico Consilio assensum dederint, una cum ceteris consentientibus, pariter poenis, in hac Constitutione expressis, teneri decernimus & declaramus.

Praeterea Auctoritate Apostolica tenore eorundem praesentium, revocamus irritamus & annullamus omnes & quascumque exemptiones, immunitates, remissiones, condonationes jurium, atque onerum realium & personalium, aut mixtorum, Camerae Apostolicae, seu eorum communi aerario debitorum: aut vectigalium, gabellarum, dationum, portorum, dohanarum, collectarum, subsidiorum, contributionum, cujusvis particulari personae pro rata illos quomodolibet tangenti, sive praesidiis, aut bonis, per eas possessis, per quascumque Communitates seu Universitates ex quavis causa, etiam legitima & de jure debita seu permessa, qualis est ob numerum duodecim Filiorum, & quacumque occasione, etiam sub praetextu tituli onerosi, & contractus ultro citroque obligatorii, etiam publi-

publico consilio, & communi omnium consensu, perpetuo vel ad tempus concessas, etiam si id sine ullo Camerae Apostolicae damno aut praedicio factum fuerit, ratamque ipsam eadem Communitates & Universitates in se susceperint.

Districte inhiibentes, ne quid tale impostum concedere aut attentare praesument, ac revocantes ex nunc in irritum quicquid circa omnia & singula praemissa praeter aut contra haec nostra interdicta, prohibitiones, statuta, ordinationes, iussa, voluntates, decreta, mandata, aut praecpta, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quod si quis conjunctim cum ceteris, seu divisim, nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, iussuum, decretorum, mandatorum, voluntatum, aut praecptorum violator seu transgressor extiterit, statuimus, ut, praeter superius expressam restitutionem aut solutionem seu damni refectionem, si, qui praeminentia aut gradu aliquo ceteris Superiores fuerint, nisi pro viribus id, quod contra hanc Constitutionem attentatum gestumve est, impedire tentaverint, suumque assensum omnino constanter denegaverint, omnibus & singulis per eos obtentis dignitatibus gradibus muneribus officiis & magistratibus eo ipso privati; ac tam ipsi quam alii inferiores, qui id inaserint, procuraverint, aut ipsimet iecerint, vel ab aliis fieri iusserint, ad illa & alia similia vel dissimilia in futurum obtinenda inhabiles perpetuo & incapaces, ac perpetua infamia & ignominia notati, & singuli eorum, si solvendo fuerint, ultra praedictam restitutionem, ad duplum ejus damni, quod communi massa seu mensa illatum fuerit, de suo restituendum obligati existant; si minus, poena exilii aut carceris saltem triennalis plebantur; Alii vero, qui solummodo consensum tacite vel expresse praestiterint, si solvendo fuerint, tantumdem pecuniarum, quantum erogatum extiterit, de suo persolvant; si autem id propter inopiam praestare nequiverint, poena aliqua corporis afflictiva Superiorum arbitrio puniantur; & ejusmodi mulctarum quarta pars inter eos dividatur, qui, quantum in eis fuerit, contradixerint seque opposuerint, vel post consensum praestitum, erroris poenitentes, superioribus id primi denunciaverint.

Sed & Constitutiones pie memor. Bonifacii VIII. & Gregorii XIII. Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, contra pacificentes, promittentes, dantes, aut recipientes quicumque, parum vel magnum, pro gratia vel iustitia, pro se vel aliis obtinenda; & contra complices, vel dantes in praemissis auxilium, consilium, vel favorem cum omnibus, in eis contentis, poenis, censuris, & extensionibus, quae supra dictis aggravatae & additae, non autem per eas immutatae aut immutatae censentur, harum serie approbamus & innovamus, ac ad omnes superius expressas personas, etiam speciali nota dignas, quae contra ultimam dictas Constitutiones in quibusvis casibus, per eas expressis, dando, recipiendo, promittendo, pacificendo, consentiendo, aut permittendo, non solum apud Sedem

Apostolicam, sed in quibusvis Tribunalibus, & eorum quibuscumque Judicibus, etiam Laicis, Almae Urbis, ac tam in Romana Curia, quam extra eam, in quibuslibet temporali ditioni nostra mediate vel immediate subiectis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis deliquerint, per easdem praesentes extendimus & ampliamus: poenis aliis, a jure vel per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria locorum statuta vel consuetudines, contra personas, aliquid praemissorum committentes vel omittentes forsitan decretis vel inflictis, nihilominus in suo robore permanentibus.

Quo circa universis & singulis modernis & pro tempore existentibus ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario, Thesaurario generali, necnon Legatis, Vicelegatis, Praesidibus, Gubernatoribus, Potestatibus, ac Prioribus, Magistris, Magistratibus, & Officialibus, ceterisque, ad quos spectat, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate, & vigilantia praesentem Constitutionem firmiter & inviolabiliter observari, & contra inobedientes vel transgressores condignis poenis animadverti.

Praecipue vero ipsi Legati, Vicelegati, Praesides, Gubernatores, & Potestates contra quoscumque Communitatum sive Universitatum debitores pro exactioe integrae summae & quantitatis, quae earum communibus aerariis debetur, & pro tempore debebitur, summarie simpliciter & de plano, solam facti veritate inspecta, sine strepitu & figura iudicii, manu regia in vim praesentis Constitutionis, etiam quavis inhibitione tam a praedicto Camerario, seu causarum Camerae Apostolicae generali Auditore, quam a quocumque alio Iudice ordinario vel delegato, quavis auctoritate fungente, etiam forsitan in vim specialis commissionis, decreto non obstante, juris & facti remediis opportunis procedant, & omni & quacumque appellatione remota, exequantur eosdem inobedientes, necnon contradicentes quoslibet & rebelles per opportuna juris & facti remedia, appellatione, postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, dictarumque Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Castrorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quorumcumque tenorem existant, per quae praesentibus non expressis, vel ad verbum non inserta, effectus praesentis nostrae Constitutionis impediri quomodolibet valeat vel differri. Quae omnia, quatenus praemissis in aliquo adversentur, prorsus tollimus & abrogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentes litterae in valvis Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & in acie Campi Florae publicentur, affixis inibi earum exemplis & dimissis.

Utque

Utque earum exempla, seu illorum compendia latino aut vulgari sermone confcripta, in libris quorumcumque Statutorum predictarum Communitatum & Universitatum inierantur, & saltem bis quotannis in publicis & majoribus Consiliis five Adunantiis cujusve Communitatis five Universitatis alta & intelligibili voce legantur, atque in publico etiam aliquo, & omnibus patenti, loco, ubi frequenter Cives aut Oppidani convenire soleant, perpetuo affixum retineatur, adeo ut si contingat, exempla hujusmodi inde amoveri aut lacepári, seu temporis diuturnitate consumi, debeant omnino Priores, Mastrarii, Cancellarii, five alii earumdem Communitatum five Universitatum Officiales, sub privationis Officiorum obtentorum, & inhabilitatis ad illa vel alia postmodum obtinenda, & aliis etiam gravioribus corporis afflictivis poenis, ipso facto incurrendis, curare, ut statim eadem exempla renoventur, & denuo affigantur; & si id commode fieri poterit, in marmoreo aliquo lapide ad perpetuam memoriam insculpantur.

Demum a singulis Legatis, Vice-Legatis, Præsidibus, Gubernatoribus, Potestatibus, necnon Communitatum seu Universitatum Prioribus, Mastrariis, Cancellariis, aut quocumque nomine nuncupatis Officialibus, initio Magistratus, antequam ad illum exercendum admittantur, super earumdem præsentium literarum observatione jusjurandum solemne publicè præstetur.

Et nihilominus post triginta dies a die publicationis, ut præfertur, in Romana Curia faciendæ, unumquemque perinde ardeat & afficiant, ac si cuique personaliter intimata, & per eos jurata fuissent.

Earum quoque transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ obfirmatis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibite vel ostentæ.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ in Monte Quirinali anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, decimo octavo Kalen. Septembris, Pontificatus Nostri anno primo.

Idem Papæ debitorum tergiverfationibus consiliv facultatem concedens nonnullis S. R. E. Cardinalibus quascumque hujus generis causas regere manu delinendi, ac tergiverfandi.

5.2. Deinde idem Clemens prædecessor, quoniam ex ipsis debitoribus multi non teneri, nec debita ipsa liquida esse prætendebant, & a mandatis seu sententiis, per prædictos Judices relaxatis seu pronunciatis, ad dictum Clementem prædecessorem & Sedem prædictam appellantes, seu de nullitate dicentes, executionem tandi suspendi, donec de justitia appellationum cognitum fuisset, petebant: Alii, quod sua debita tergiverfatione aliqua negare non poterant, executionem saltem variis artibus eludere satagebant, ac ne bona sua hæc subijci viderent, diversa impedimenta excogitabant, propterea idem Clemens prædecessor, eorum quidem, quibus minus justæ molestiæ inferebantur, indemnitati consulere, ac iis contra, qui sub prætextu

frivolæ appellationis, aut aliis, quomodolibet debitas solutiones retardare conabantur, omnem fraudis viam præcludere volens, tunc nonnullis ex S. R. E. Cardinalibus, privative quoad omnes & quoscumque alios Judices, omnes & quascumque causas, etiam super validitatibus quarumcumque extensionum vel immunitatum, quibusvis personis quomodolibet concessarum, ad instantiam quarumcumque personarum cujuscumque status aut dignitatis, etiam Cardinalatus honore fulgentium, etiam si Universitates, Societates, Congregationes, Collegia, utriusque sexus Monasteria, Hospitalia, Ecclesiæ, aut loca pia, quocumque privilegio immunitate vel exemptione suffulta, extitissent: five etiam viceversa ad ipsarum Communitatum seu Universitatum instantiam contra prædictos vel alios quoscumque, aut inter ipsas Communitates invicem quomodolibet motas seu movendas, summarie & manu regia, ac alias audiendi, cognoscendi, & sine debito terminandi, & tam prædictis quam quibusvis aliis Judicibus & personis, quatenus opus fuisset, sub censuris & poenis eorumdem Cardinalium, ut infra deputatorum, arbitrio infligendis moderandis & applicandis, inhibendi, five inhibitiones quascumque, etiam vigore quarumcumque commissionum Apostolicarum, non tamen manu dicti Clementis Prædecessoris subscriptarum, moderandi aut revocandi: & prout justum videretur, mandata quacumque necessaria & opportuna decernendi, relaxandi, ac omni & quacumque appellatione, reclamazione & recurfu omnino posthabitis, exequendi, plenam & liberam facultatem & potestatem sua auctoritate concesserit & impertitus fuerit, ac alias, prout in aliis literis Apostolicis in forma Brevis sub Annulo Piscatoris expeditis, plenius & uberius continetur: quarum tenor est, qui sequitur.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilectis filiis Nostri Antonio Maria S. Maria de Pace, Salvato, ac Mariano Sacerdotum Marcellini & Petri Tituli Presbyteris, de Camerino, & Alexandro Sancti Laurentii in Damaso Diacono, Cardinalibus, Montalto, nuncupatis.

Cum per Constitutionem, nuper a Nobis editam super bono regimine & administratione reddituum Communitatum & Universitatum ditionis temporalis Ecclesiasticæ univèrsæ, inter alia præceperimus, ut cuncti earum debitores ad solvendum id, quod debent, per earum Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Præsides, aut Postates, omnibus opportunis juris & facti remediis quamprimum omnino compellantur: multi autem ex ipsis debitoribus prætendant, se non teneri, nec debita ipsa liquida esse, & a mandatis seu sententiis, per prædictos Judices relaxatis, ad Nos & Sedem Apostolicam appellantes, seu de nullitate dicentes, petant, executionem hujusmodi tandiu suspendi, donec de justitia appellationum cognoscatur: aliis cum id, quod debent, tergiverfatione aliqua

Teneri literarum quibus conceditur facultas.

aliqua nequeant denegare, executionem saltem variis artibus eludere satagant: & ne bona sua hæc subijci videant, diversa impedimenta excogitent: proinde Nos volentes eorum quidem, quibus minus justæ molestiæ inferuntur, indemnitati consulere: iis contra, qui sub prætextu frivolæ appellationis aut aliis quoquomodo, debitas solutiones retardare conantur, omnem fraudis viam præcludere.

Circumspectioni vestræ, aut duobus saltem ex vobis coniunctim procedentibus, privative quoad omnes & quoscumque alios Judices ordinarios vel delegatos, quavis dignitate & auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, Vicecamerarium, Thesaurarium Generalem, Cameram Apostolicam, eiusque causarum generalem Auditorem, aut Præsidentes Clericos, ac Palatii Apostolici causarum Auditores, ac etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Legatos, etiam de latere, tam in Romana Curia, quam extra eam jurisdictionem exercentes, omnes & quascumque causas appellationum, reclamationum, recursum, nullitatum, seu notoriæ injustitiæ: necnon revisionis, etiam prætextu cujusvis erroris, etiam calculi, aut reductionis ad arbitrium boni viri, ac restitutionis in integrum, tam super præmissis, quam super validitatibus & invaliditatibus quarumcumque exemptionum vel immunitatum, quibusvis personis per easdem Communitates seu Universitates, five etiam auctoritate Apostolica, & per Nos seu Prædecessores Nostros concessarum, & an sint admittendæ, nec ne: ac super præsentis remissionibus seu defalcationibus solutionum, eisdem Communitatibus debitaram ob quoscumque in dicta Constitutione expressos vel non expressos fortuitos casus, vel ex quacumque alia causa, casu, culpa, vel facto cujuscumque personæ, aut aliis ad instantiam quarumcumque personarum, quæ ipsis Communitatibus seu Universitatibus aliquid debent, vel debere prætenditur, aut quippiam ex præmissis petunt, tam Laicorum, quam Clericorum cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, vel præminentie existentium, etiam Cardinalatus honore fulgentium, etiam si Universitates, Societates, Congregationes, Collegia, ac tam virorum quam mulierum Monasteria, Hospitalia, Ecclesiæ, aut Loca pia quocumque privilegio immunitate vel exemptione suffulta extiterint: five etiam viceversa ad ipsarum Communitatum seu Universitatum instantiam contra prædictos vel alios quoscumque, aut inter ipsasmet Communitates invicem, occasione cujusvis laudi, arbitramenti, sententiæ, decreti, aut mandati per prædictos Gubernatores, Potestates, aut Præsides, vel Legatos, aut quoscumque alios Judices, seu Commissarios, etiam ad id delegatos vel subdelegatos, aut arbitros vel arbitratores, in vim Constitutionis nostræ prædictæ, seu aliis quomodolibet lati aut relaxati, motas aut movendas cum illarum dependentiis, emergentibus, incidentibus, annexis & connexis, summarie simpliciter & de plano, sine strepitu &

figura iudicii, sola facti veritate inspecta, etiam terminis substantialibus non servatis, manu regia, audiendi, cognoscendi, & sine debito terminandi: ac superius expressis, & aliis quibusvis Judicibus & personis, quoties opus fuerit, sub censuris & poenis arbitrio vestro infligendis, moderandis, & applicandis, inhibendi, five inhibitiones quascumque ab eis editas, etiam vigore quarumcumque commissionum Apostolicarum, non tamen manu Nostra signatarum, moderandi aut revocandi: & prout justum vobis videbitur, mandata quacumque necessaria & opportuna decernendi, relaxandi, & omni & quacumque appellatione reclamazione & recurfu omnino posthabitis, exequendi, plenam & liberam auctoritatem & potestatem auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & impartimur.

Præterea, cum sæpenumero contingat, debitas executiones mandatorum, in favorem earumdem Communitatum relaxatorum, ea specie eludi, quod non reperitur, qui bona debitorum, auctioni subiecta, emere velit, eidem circumspectioni vestræ per præfentes committimus & mandamus, ut tam causis hujusmodi per vos cognitis, quam etiam non cognitis, eorum, contra quos de prædictorum Judicum seu vestro mandato, occasione prædictæ nostræ Constitutionis, executio aliqua faciendæ erit, bona vendi, auctioni subijci, & si intra brevem terminum nemo, qui illa emat, repertus fuerit, consanguineos & affines proximiori gradu conjunctos ad illa emenda cogi, prout in bonis ex crimine & delicto confiscatis, & publicatis ad instantiam Procuratoris Fisci, fieri solet; cæteraque omnia in præmissis & circa ea necessaria & quomodolibet opportuna decernere, mandare, & exequi, etiam omni & quacumque appellatione reclamazione & recurfu penitus remotis, vel inhibitione superius expressorum, vel aliorum quorumcumque, vel litis pendentia, non obstante, auctoritate nostra curetis; super quo etiam plenam eisdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Præsidibus, & Potestatibus facultatem tribuatis.

Non obstantibus præmissis, ac etiam aliis omnibus, quæ in Constitutione nostræ prædictæ volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris die trigesima Octobris, millesimi quingentesimi nonagesimi secundi, Pontificatus Nostri Anno Primo.

5.3. Anno vero Domini millesimo sexcentesimo septimo piæ memoriæ Paulus Papa Quintus, etiam Prædecessor Noster, ad utilitatem earumdem Communitatum seu Universitatum Status Ecclesiastici prædicti sedulo incumbens, jurisdictionem prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationis Boni Regiminis circa omnes & quascumque causas tam civiles quam criminales & mixtas, ad Communitates five Universitates quascumque Status Ecclesiastici prædicti, Romano Pontifici mediante vel immediate subiectas, tam active quam passive pertinetes, per Cardinales ejusdem Congregatio-

Congregationis Boni Regiminis a Paulo PP. V. auctæ facultates.

tionis, vel ab eis subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi & terminandi, ac reasumendi, & avocandi, necnon quibusvis Judicibus, & aliis personis, etiam sub censuris & poenis inhibendi, ac omnia alia & singula, in supradicta Constitutione contenta, executioni demandandi: necnon plura alia faciendi, gerendi, ordinandi, & exequendi, plenam liberam & amplam auctoritatem, facultatem & potestatem per quasdam suas concesserit & impertitus fuerit; & mox per alias respective etiam sub Annulo Piscatoris in forma Brevis expeditas literas Apostolicas, intentionis suae fuisset, eandem Congregationem Boni Regiminis causas solummodo ad Communitates seu Universitates praedictas earumque redditus & proventus, aut computorum & quorumcumque bonorum administrationis rationem quomodolibet spectantes (non tamen poenarum maleficiorum) per se vel alios subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi, expediendi, terminandi, reasumendi, & a quibusvis Judicibus, eis etiam inhibendo, avocandi facultatem a se, ut supra, concessam, habere declaraverit: Binarum autem dicti Pauli Praedecessoris litterarum tenor pariter est, qui sequitur, videlicet:

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad futuram rei memoriam.

Cupientes Constitutionem, a felicis record. Clemente Papa Octavo Praedecessore Nostro, super bono regimine & administratione reddituum Communitatum & Universitatum ditionis temporalis Ecclesiae editam, debitae executioni pro earundem Communitatum & Universitatum utilitate demandari; ac de singulari fide, prudentia, & integritate dilectorum filiorum nostrorum, Mariani, Sanctorum Marcellini & Petri de Camerino: Octavii Sanctae Sabinae, Bandini: Dominici Sancti Honuphrii, Tusci: Dominici Gymnasii: Innocentii Sancti Thomae in Parione Titulorum, Presbyterorum, Pubali: & Bartholomaei Sanctae Mariae in Porticu Diaconi, de Cesis, nuncupatorum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, plurimum in Domino confisi, eisdem Cardinalibus, quos pro executione dictae Constitutionis harum serie deputamus,

Omnes & quascumque causas tam civiles quam criminales & mixtas, ad Communitates & Universitates quascumque Status nostri Ecclesiae, Nobis mediate vel immediate subjectas, tam active quam passive, pertinentes, per se vel ab eis subdelegandos audiendi, discutiendi, examinandi, expediendi & terminandi, ac omnia alia & singula, in eadem Constitutione contenta, executioni demandandi.

Ac pro faciliori negotiorum huiusmodi expeditione aliquos Praelatos, aut alias personas, juris prudentia praeditas, a Nobis approbandas, in suos Consultores adhibendi: necnon aliquem ex illis, aut alium idoneum eis benevisum, in suae Congregationis Secre-

tarium deputandi, & causas quascumque reasumendi & avocandi; necnon quibuscumque Judicibus & aliis personis, etiam sub censuris & poenis, inhibendi, & quoscumque citandi, etiam per Edictum publicum confiso de non tuto accessu, caeteraque omnia & singula in praemissis & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna faciendi, gerendi, ordinandi & exequendi, itaut occasione causarum criminalium, censuram ecclesiasticam, aut irregularitatis notam, dummodo sententias sanguinis per se ipsos non ferant, minime incurrant, plenam liberam & amplam auctoritatem facultatem & potestatem concedimus & impartimur.

Non obstantibus Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quae dictus Clemens Praedecessor in eadem Constitutione voluit non obstat, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volimus etiam, ut ea, quae a majori parte eorum resoluta fuerint, plenam obtineant firmitatem, & plenarie executioni demandari debeant.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Junii millesimi sexcentissimi quinti, Pontificatus Nostri Anno primo.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad futuram rei memoriam.

Jam pridem cupientes Constitutionem, a felicis recordationis Clemente Papa Octavo Praedecessore Nostro, super bono regimine status Ecclesiae editam, executioni demandari, dilectis filiis Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, pro eisdem Constitutionis executione a Nobis deputatis, omnes & quascumque causas tam civiles quam criminales & mixtas, ad Communitates & Universitates quascumque Status Ecclesiae, Nobis mediate vel immediate subjectas, tam active quam passive, per se vel alios, ab eis subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi, & terminandi: ac omnia alia & singula in eadem Constitutione contenta executioni demandandi, eisdemque causas quascumque reasumendi & avocandi, quibuscumque Judicibus inhibendi, & alias, prout in nostris Literis in huiusmodi forma Brevis desuper expeditis sub die quarta Junii 1605. Pontificatus Nostri Anno primo, plenius continetur, facultatem dedimus;

Quia vero ob generalitatem praedictarum Literarum nostrarum facile videri alicui posset, ea Nos commississe, quae nostrae intentionis committere minime fuit, idcirco ad solvendas huiusmodi difficultates, praedictarum Literarum tenorem praesentibus pro sufficienter expresso, & ad verbum inserto habentes;

Motu proprio, & ex certa nostra scientia, maturaque deliberatione, vigore praesentium declaramus, intentionis nostrae, eisdem Cardinalibus eas solummodo, & non alias causas civiles criminales & mixtas, tam active quam passive ad Communitates & Uni-

Bine ad id data a Paulo PP. Licet.

Innocent. XI. decrevit Apostolicas Constitutiones & Chirographa esse servanda quoad debita personarum privilegia.

versitates Status nostri mediate vel immediate subjectas pertinentes, per se vel alios, ut praemittitur, subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi, expediendi & terminandi, reasumendi, & avocandi, quae ad redditus & proventus (non tamen poenarum maleficiorum) ad illas quomodolibet spectantes, & quae in futurum spectabunt, aut rationem seu computorum redditiones, etiam ratione administrationis Annonae seu Abundantiae, & pecuniarum ac rerum, illis seu illi destinatarum, Civitatum, Terrarum & Locorum ejusdem Status Ecclesiastici, sive ad quorumcumque bonorum administrationes praedictarum Communitatum & Universitatum quomodocumque & qualitercumque pertinent & pertinebunt, facultatem tribuere, itaut eas tantum, & non alias causas iisdem Cardinales per se vel alios subdelegandos, audire, discutere, examinare, expedire, & terminare, reasumere, & avocare a quibuscumque Judicibus, necnon iisdem inhibere, & omnia & singula in eis contenta, omnibusque aliis & singulis in praedictis literis nostris, facultatibus illis concessis in praemissis, & circa ea uti possent & valerent, ac possint & valeant;

Irritum decernentes & inane, quicquid fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari;

Non obstantibus praemissis, necnon quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima tertia Novembris Millesimo sexcentesimo septimo, Pontificatus Nostri Anno tertio.

§.4. Postmodum pluribus ex debitoribus Communitatum sive Universitatum huiusmodi, praecipue Ecclesiasticis, aut aliis privilegiatis personis, suorum privilegiorum praetextu sese ab onerum eisdem Communitatibus debitorum solutione prorsus eximi, aut saltem illam retardare studentibus, & propterea causas, solutionem praedictam concernentes, ad alias Congregationes aliaque Tribunaia Urbis deferentibus, recolenda memoria Innocentius Papa XI, etiam Praedecessor Noster, pro re huiusmodi examinanda & definienda praecipuam Congregationem ex dictae S. R. E. Cardinalium Congregationum super Immunitate Ecclesiastica, & Decretorum Concilii Tridentini Interpretum, ac super consultationibus Episcoporum & Regularium, necnon Boni regiminis ejusdem S. R. E. Cardinalibus Praefectis, illarumque Secretariis, deputaverit; & Congregatio sic deputata huiusmodi, semel & iterum habita, unum videlicet sub die quarta Decembris anni Domini MDCLXXX. cujus tenor est: Quoad onera Cameralia solvenda ab Ecclesiasticis, serventur Constitutiones & Chirographa Summorum Pontificum, prout jacent; & quoad eorum interpretationem & executionem, ad Congregationem Boni Regiminis: Et alterum, Decreta, quae postea ab eodem Innocentio Praedecessore approbata fuerunt, sub die quintadeci-

ma Januarii insequentis anni MDCLXXXI. ediderit. Secundo dicti Decreti tenor est sequens: Quoad onera Communitativa, suis loco & tempore exprimenda, Ecclesiasticos non teneant, ubi suppetant facultates Communitatum; & providebitur in casibus particularibus per Sacram Congregationem Boni Regiminis.

Clericos conjugatos etiam habentes requisita Cap. 2. de Vita & honestate Clericorum in 5., & Sacri Concilii Tridentini, teneri ad omnia onera realia & mixta, nisi contra pro eis ad sit legitima consuetudo.

Quo vero ad eorum interventum, in Consiliis, supplicandum esse Beatissimo, ut Ordinarii prohibeant tam Clericos celi- bes quam conjugatos, habentes supradicta, requisita, esse de Consilio, nisi legitime renunciaverint privilegio Clericatus.

§.5. Demum ejusdem pie rec Innocentius Papa XII. etiam Praedecessor Noster, deputata pro renovatione & declaratione Constitutionis pie me. Sixti Papae Quinti, similiter Praedecessoris Nostri, erectionem plurium Congregationum dictae S. R. E. Cardinalium continentis, particularium plurium Romanae Curiae Praelatorum Congregatione, decretum illius die nona Augusti anni Domini Millesimi sexcentissimi nonagesimi tertii emanatum, quo causas supradictas contra quoscumque, necnon appellationes, reclamaciones, aut recursus super praemissis omnibus interponendos, ac cognitionem privilegiorum & exemptionum, an illa suffragarentur; atque onerum, an illa essent cameralia, communitativa, vel mixta, spectare ad Congregationem Boni Regiminis privative quoad omnes alias Congregationes, Judices, & Tribunaia, etiam si ageretur de personis & locis Ecclesiasticis, quantumvis exemptis & privilegiatis, ac speciali nota dignis, sub eadem die nona Augusti approbaverit; particula autem dicti Decreti jurisdictionem praedictae Congregationis Boni Regiminis concernens, est sequens, videlicet: Et quoniam post eandem sa. me. Sixti Quinti Constitutionem Congregatio Boni Regiminis instituta fuit pro felici & economico gubernio Communitatum Status Ecclesiastici; & ad hoc, ut sublatis debitorum, subterfugis expeditior esset exactio onerum & collectarum, eisdem Universitatibus incumbentium, exinde censuit Congregatio, causas omnes tam pro adimplemento Bullae Boni Regiminis nuncupatae, quam alterius declaratoriae impressae post Constit. X. Clementis Octavi, sive sint civiles sive criminales, aut mixtae, juxta aliam Constitutionem XXXVIII. Pauli Quinti contra quoscumque earundem Universitatum Officiales, Administratores, Appaltatores, aut quovis alios debitores, ex causa tamen onerum Cameralium & Communitativorum, aliorumque reddituum, in Tabella Congregationis descriptorum, sive etiam ratione publicae Annonae, necnon appellationes, reclamaciones, aut recursus, super praemissis omnibus interponendos, spectare ad eandem Congregationem privative quoad omnes alias Congregationes, Judices & Tribunaia, etiam si agatur de personis & locis Ecclesiasticis,

Clericorum

Et quoad eorum interventum in Consiliis.

Ab Innocentio XII. Particulari Congregationi demandatum, examina Appellationum, Recursuum, &c.

Ac statutum, ut omnes causae huiusmodi aut finitae a Congreg. B. Regim. cognoscantur.

E e e quan-

quantumvis exemptis & privilegiatis, ac speciali nota dignis, itaut ad eandem Congregationem Boni Regiminis pertineat privativa (ut supra) cognitio; an privilegia & exemptiones suffragentur contra dictas Communitates, earumque Administratores & Appaltatores; an onera sint Cameralia, Communitativa, vel mixta juxta predictam Bullam declaratoriam sa. me. Clementis Octavi, & juxta alia Decreta Congregationis particularis, edita die quarta Decembris MDCLXXX. & decimaquinta Januarii MDCLXXXI. a. sa. me. Innocentio XI. approbata.

Causa eadem de hujus Congregationis

§.6. Licet vero post dictorum Clementis & Pauli hujusmodi literas Apostolicas, ac utriusque Innocentii praedecessorum cautiones, in decretis expressas, indemnitati Communitatum seu Universitatum Nostri Status Ecclesiastici praedicti satis consultum fore sperari posset; nihilominus, ut etiam accepimus, illarum debitores ad praesens sub variis praesens exemptionum assertionibus, a jurisdictione praedictae Congregationis Boni Regiminis non sine gravi Communitatum seu Universitatum hujusmodi, plurimumque ex nostris subditis praedictis, declinare, & variis tergiversationibus ac subterfugiis ad alias Urbis nostrae Congregationes & Tribunalia confugere adhuc non cessent; propterea quoniam Communitates seu Universitates, universosque subditos nostros hujusmodi, a detrimento ex praemissis insurgente eximere, ac publico bono earumdem Communitatum seu Universitatum, felici & economica gubernationi, ut par est, prospicere, ac jurisdictionem praedictae Congregationis Boni Regiminis illaefam subsistere volentes;

Quae Praedecessorum Pontificum omnia confirmantur.

§.7. Motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostri, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Clementis & Pauli literas Apostolicas praedictas tam sub Plumbo, quam in forma Brevis, ut praefertur, expeditas: necnon Decreta, per utrumque Innocentium praedecessores, ut praefertur, approbata, ac respectu omnia & singula in eis contenta & expressa, itaut illa deinceps adversus quemcumque lapsum temporis firma & inconcussa consistant, maximumque pondus apud quoscumque habeant, dictae Apostolicae auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus & approbamus; Illisque Apostolicae firmitatis robur adjicimus, omneque & singulos tam juris quam facti & solemnitate, ac quoscumque alios, quantumvis substantialia defectus, si qui desuper forsitan quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus.

Congregationis Boni Regiminis jurisdictione absolutam & privativam declarat.

§.8. Et ad validiorem praemissorum omnium effectum, eidem Congregationi Boni Regiminis privative quoad omnes & quoscumque alios Judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, aut praerogativa, dignitate, & praeminentia fulgentes, etiam dictae S. R. E. Camerarium, Thesaurarium Generalem, Cameram Apostolicam, ejusque Curiae causarum generalem Auditorem, & Praesidentes Clericos, ac Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores, dictaeque S. R. E. Cardinales, etiam de latere Le-

gatos & Vicelegatos, respective tam in Romana Curia quam extra eam, jurisdictionem exercentes, ac etiam alias Cardinalium Congregationes, omnes & quascumque causas sive civiles vel criminales, aut mixtas, tam interesse Communitatum seu Universitatum quarumcumque, nobis & Romano Pontifici pro tempore existenti, Sedique praedictae mediate vel immediate subiectarum, quomodolibet respicientes, quam appellationum, reclamationum, recursum, nullitatum, seu notoriae injustitiae, necnon revisionis, etiam praetextu cujusvis erroris, etiam calculi, aut reductionis ad arbitrium boni viri, ac restitutionis in integrum, tam super praemissis quam super validitatibus & invaliditatibus quarumcumque exemptionum vel immunitatum, quibusvis personis per easdem Communitates seu Universitates, sive etiam auctoritate Apostolica, & per Nos, ac praedecessores Nostros concessarum: & an sint admittendae, necne: ac super praesens remissionibus seu defalcationibus solutionum, eisdem Communitatibus seu Universitatibus debiturum ob quoscumque in dicta Constitutione Clementis praedecessoris expressos vel non expressos fortuitos casus, vel ex quacumque alia causa, casu, culpa, vel facto cujuscumque personae, aut alias ad instantiam quarumcumque personarum, ipsis Communitatibus seu Universitatibus aliquid debentium, aut quidpiam ex praemissis petentium, tam Laicorum quam Clericorum, & cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, vel praeminentiae existentium, etiam Cardinalatus honore fulgentium, aut etiam quarumcumque Universitatum, Societatum, Congregationum, Collegiorum utriusque sexus, etiam Societatis Jesu, ac quorumcumque Regularium Ordinum, etiam Mendicantium, Ordinum Militarium, ac Hospitalium, etiam S. Joannis Hierosolymitani, & aliorum Institutuum, quibuscumque privilegiis & immunitatibus gaudentium: Item Monasteriorum, Ecclesiarum, & piorum Locorum, etiam quocumque privilegio immunitate vel exemptione illa suffulta extiterint, ac de quibus specialis & expressa ac individua mentio praesentibus habenda foret; sive etiam viceversa ad ipsarum Communitatum seu Universitatum instantiam contra supradictos vel alios quoscumque, aut inter ipsamet Communitates seu Universitates invicem, occasione cujusvis laudi, arbitramenti, sententiae, decreti, aut mandati, per quoscumque locorum Gubernatores, Potestates, aut Praesides, vel Legatos, aut quovis alios Judices, seu Commissarios, etiam ad id delegatos vel subdelegatos, aut arbitros vel arbitratores, quomodolibet lati aut relaxati, vel alias quomodolibet motas & movendas cum illarum dependentiis, emergentibus, incidentibus, annexis & connexis, summarie simpliciter & de plano sine strepitu & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, etiam terminis substantialibus non servatis, manu regia, audiendi, cognoscendi, & sine debito terminandi: ac tam in Romana Curia quam extra eam, jurisdictionem, ut praefertur, exercentibus, superius expressis, & aliis qui-

quibusvis Judicibus & Ministris ac personis, quoties opus fuerit, etiam sub censuris Ecclesiasticis, & aliis poenis, arbitrio ejusdem Congregationis Boni Regiminis intelligendis, moderandis, & applicandis, inhibendi sive inhibitiones quascumque ab eis editas, etiam vigore quarumcumque commissionum Apostolicarum, non tamen Nostra & Successorum Nostrorum manu signatarum, moderandi aut revocandi: & prout justum videbitur, mandata quaecumque necessaria & opportuna decernendi & relaxandi, ac omni & quacumque appellatione reclamacione & recursum omnino posthabitis, exequendi (citra tamen pronunciationem sententiae sanguinis) plenam liberam & omnimodam facultatem auctoritatem & potestatem omnino spectare & pertinere, ac ad eandem Congregationem Boni Regiminis valide competere, dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo volumus & declaramus.

Etiam quoad Ministerium electionem.

§.9. Insuper ut oeconomia honorum & reddituum earumdem Communitatum seu Universitatum ea, qua convenit, diligentia, & integritate imposterum exerceatur, ut dicta Congregatio Boni Regiminis, etiam privative quoad omnes & singulos Judices Ministros, & personas, ut supra expressas, & ut praefertur, qualificatas, etiam, ut praetertur, Cardinalatus honore fulgentes, plenam & liberam jurisdictionem circa electiones & deputaciones quorumcumque Ministrorum, oeconomicorum Communitatum seu Universitatum hujusmodi praepositorum, exercere libere & licite possit & valeat, auctoritate praedicta similiter perpetuo concedimus & indulgemus.

Praesentium Literarum robor ac firmitas.

§.10. Praesentes quoque literas, & in eis contenta & expressa quaecumque, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, etiam ex eo, quod causa, propter quas praemissa emanarunt, coram Nobis vel alibi adductae, verificatae & justificatae: aut Communitatum seu Universitatum Status Ecclesiastici hujusmodi, Consules, Conservatores, Senatores, Consalonerii, Officiales, Ministri, Magistratus, & Deputati quicumque, illarumque debitores, ac Judices & Ministri, aliaque persona, ut supra expressa & qualificata, ac quicumque alii, in praemissis, & circa ea quomodolibet in quorumcumque contractuum, conductuum & obligationum vim interesse habentes, seu habere praetendentes, ad id vocati & auditi non fuerint, & consensum suum eisdem praemissis non praestiterint, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali: sive etiam ex eo, quod eadem praesentes extra Consistorium Nostrium secretum, nec de Venerabili Fratrurn Nostrorum praedictae S. R. E. Cardinalium consilio & assensu emanaverint, & in eis solemnitates, ac quavis alia servanda & adimplenda, servata & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, etiam in corpore juris clauso, & quovis alio praetextu, occasione, vel causa, etiam quantumvis legitima, iusta, & privilegiata, quae ad effectum validitatis praemissorum ex-

primenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controverfiam vocari, ad viam & terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris vel facti remedium, aut oris aperitionem impetrari, neque illas sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi; sed semper ab illis excipi, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, per dictam Congregationem Boni Regiminis quodcumque eligenda, concessas, illasque validas & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus in omnibus & per omnia fortiri & obtinere, ac eidem Congregationi Boni Regiminis, aliisque, ad quos nunc spectat & pro tempore, quomodolibet spectabit in futurum, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, ac a Communitatum seu Universitatum praedictarum Officialibus & Ministris supradictis, illarumque debitoribus, etiam, ut praefertur, qualificatis praedictis, inviolabiliter observari & adimpleri, nec ab eisdem praesentibus ullo unquam tempore rescindi aut recedi posse: & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Specialis obstantium omnium derogatio.

§.11. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostre & Cancellariae Apostolicae Regula, ac praeter Pii Papae Quarti, etiam praedecessoris Nostri, de gratijs, interesse Camerae Apostolicae quomodolibet concernentibus, in eadem Camera infra certum tunc expressum tempus registrandis ac insinuandis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis dictarum Communitatum seu Universitatum Status Ecclesiastici praedicti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Communitatibus seu Universitatibus, aut illarum Officialibus & Ministris supradictis, necnon Camerario, Thesaurario generali Camerae Apostolicae, ejusque Curiae Causarum generali Auditori, aut Praesidentibus Clericis, & Causarum dicti Palatii Auditoribus, & etiam in vim dictarum regularum praedictae S. R. Ecclesiae Cardinalibus, etiam de latere Legatis, competentibus, aliisque Cardinalium Congregationibus praedictis, & quibusvis aliis personis, ac etiam Societatibus, Collegiis, Hospitalibus utriusque sexus, Monasteriis, Ecclesiis, & piis Locis quibuscumque, alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis. Quibus omnibus & singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio seu quavis alia expressio facienda & habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium & singulorum tenores eisdem praesentibus etiam pro plene & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, latissime & plenissime,

me, ac specialiter & expresse, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Fides Transumptum

§.12. Volumus autem, ut eorundem presentium transumptis, etiam typis impressis, & sigillo alicujus in Dignitate Ecclesiastica constituti munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quae ipsis presentibus adhiberetur, si illa exhibita forent vel ostensa.

§.13. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, defectum supplementationis, declarationis, concessionis, indulti, decreti, derogationis, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo trigesimo quarto, pridie Idus Februarii, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

A. Card. Pro-Datarius,

F. Card. Oliverius,

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Loco * Plumbi.

D. Stivanus,

Registrata in Secretaria Brevium.

CXXVI.

Confirmantur patentes Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Literae, quibus nonnulli Ordinis sui Religiosi deputantur ad quaestuandum in certis statutis Provinciis pro conservatione Terrae Sanctae.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Commissarius Generalis Terrae Sanctae in Romana Curia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, de Observantia nuncupatorum, quod dilectus pariter filius Joannes de Soto Minister Generalis dicti Ordinis per suas patentes Literas Ministris Provincialibus Provinciarum Aratidae, Sancti Antonii Caputior, Pietatis, &

Conceptionis della Veira, & Alynho directas, eos rogavit, monuit, & hortatus fuit, ut pro conservatione locorum ejusdem Terrae Sanctae, Commissario dictae Terrae Sanctae, Matrili residenti, Religiosos uniuscujusque Provinciae, qui qualitatibus ad id necessariis praediti sint, super quaestuatione eleemosynarum pro eisdem locis deputent & deputare teneantur; & alias, prout uberius continetur in ipsius Joannis Ministri Generalis literis patentibus, desuper emanatis, ex idiomate hispanico in latinum versis tenoris, qui sequitur videlicet:

Litterae Patentes Ministri Generalis, de hispanico in latinum idioma traducta, sunt tenoris sequentis.

Fr. Joannes de Soto Lector Jubilatus, Theologus Majestatis suae, & congressus Immaculate Conceptionis, Minister Generalis totius Ordinis S. P. N. Francisci, & Servus &c.

Litterae, de quibus in Rubrica.

RR. PP. Provincialibus praesentibus & futuris Provinciarum nostrarum rabida, Sancti Antonii Caputior, Pietatis, & Conceptionis della Veira, & Alynho, salutem & pacem in Domino Nostro Jesu Christo.

Quoniam inter ea, quibus nostra Seraphica Religio curam & sollicitudinem majori vigilantia impendere debet, potissima est conservatio SS. Locorum, Terrae Sanctae major cultus, & assistentia Religiosorum in illis residentium, in cuius finem opus est deputare Religiosos, qui curam assument & habeant, eleemosinas in hisce Regnis, necnon Brasili, quaestuant, & eas a fidelibus, ut moris est, colligendi; & quia aequum ac iustum est, ut omnes & singulae Provinciae in tam sanctum Opus concurrant: cunctarum quidem honor est, sacrae Custodiae atque Sanctorum Locorum manutentio, in quibus Redemptio nostra operata est. Inde praesentium vigore rogamus, moneamus, & exhortamur RR. PP. VV. in visceribus Jesu Christi, ne se excusent, ac retrahant in cooperando, quantum valeant ad praefatum effectum, concedentes ac designantes R. P. Commissario Terrae Sanctae Religiosos uniuscujusque Provinciae nostrae ad instantiam & beneplacitum ejusdem P. Commissarii in quaestores eleemosynarum tam in eo Regno quam Brasili, aliisque Ditionibus, & quidem eos, qui qualitatibus ad id necessariis & opportunis sint praediti, uti de zelo & religiositate PP. VV. confidere debemus. Quibus paternam nostram benedictionem impertimur.

Datum in hoc nostro Conventu Sancti Francisci Matrili die 18. Septembris .733.

Fr. Joannes Soto Minister Generalis.

De mandato S. P. Reverendissimae Fr. Didacus Spinosa Secretarius Generalis Ordinis.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, praedictus modernus Commissarius Generalis, exponens praemissa, quo firmius

Consentitur.

mius subsistant, & serventur exactius, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communi summopere desideret; Nos ipsius moderni Commissarii Generalis exponentis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, praesertim eas ejusdem Joannis Ministri Generalis literas patentes, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus; ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervernerint, supplementis.

Clausula.

§.3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sique in praemissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Februarii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXVII.

Dat. die 16. Febr. 1734. Pont. An. VI.

Confirmantur privilegia, gratiae, facultates, & indulta Collegii Montis Alti Civitatis Bononienae ac praecipue quae Cardinali Protectori concessa sunt.

CLEMENS PAPA XII.

Ad per etiam rei memoriam.

Exordium.

EX inuncto Nobis caelitus Apostolicae servitutis munere illa, quae ex circumspicua Romanorum Pontificum Praedecessorum No-

strorum providentia in favorem ac commodum Collegiorum ad rectam piamque Juventutis educationem, & literarum Studiis, aliisque laudabilibus Disciplinis instructionem, ubique, ac praesertim in temporali Sanctae Romanae Ecclesiae Ditione institutorum, salubri consilio emanasse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri praesidio, cum a nobis petitur, libenter corroboramus.

§.1. Dudum siquidem fel. record. Sixtus PP. V. Praedecessor Noster, Collegium Montis Alti nuncupatum in Civitate Bononienae, a se fundatum & erectum, illiusque Rectorem, Scholares, Cappellanos, Oeconomos, Officiales, Ministros, ac personas & bona universa ab omni pro tempore existentium Sedis Apostolicae in praedicta Civitate Bononienae de latere Legati, & Archiepiscopi Bononienae, & quorumvis aliorum Judicum superioritate & jurisdictione: necnon a quorumcumque pedagogiorum impositione, ac subsidiorum solutione exemptis: ipsique Collegio, ejusque Colonis, Conductoribus, & Emphyteutis frumenta, aliasque fruges ex possessionibus dicti Collegii provenientes de quibusvis Provinciis, Terris, & Locis, eidem Romanae Ecclesiae mediante vel immediate subjectis, cujusvis licentia desuper minime requisita, & absque alicujus pecuniae vel alterius rei solutione & praestatione extrahendi, & ad praedictum Collegium pro illius usu conducendi, & etiam, illas in praefata Civitate Bononienae, illiusque Comitatu, ac reliquo Statu Ecclesiastico vendendi, & de illis ad eorum libitum disponendi; pro tempore vero aliter existentibus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali ejusdem Collegii Protectori ac Judici ordinario, Officiales & Ministros deputandi, statuta condendi, omnesque lites & causas civiles, criminales, & mixtas, dictum Collegium illiusque personas res & bona quomodolibet concernentes, tam activas quam passivas, etiam illas a quibuslibet Judicibus avocando, privativam, quoad omnes & singulos alios Judices ordinarios & delegatos, eorumque Curias, & Tribunalia audiendi, cognoscendi, & sine debito terminandi facultatem tribuit; diversaque, habeat privilegia, facultates, praerogativas, gratias, & indulta eidem Collegio illiusque personis rebus & bonis concessit ac elargitus est, & alias, prout in ipsius Sixti Praedecessoris literis desuper sub plumbo anno Incarnationis Dominicae 1588. decimoquinto Kal. Decembris expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene & sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Collegium hoc a Sixto PP. V. fundatum.

Et privilegia praerogativa.

Privativa Cardinali Protectori attributa jurisdictione.

§.2. Cum autem, sicut dilecti filii Rector & Scholares Collegii praedicti Nobis nuper exponi fecerunt, praefati Sixti Praedecessoris literae, ac in eis contenta, haecenus illibata, ut par erat observata, fuerint, ac etiam nunc plenum obtineant vigorem; privativaque jurisdictione Cardinali Protectori, sicut praemittitur, attributa geminis etiam rescriptis Signaturae Iustitiae, ac novissime decreto per bon. mem. Prosperum dictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Marefiscum nuncupatum, dum rec,